


CANCELLE*
MARTIS B**
1718*





IX. B. 6. 192.
57.

~~De. 5. 192.~~

~~XXVIII. 9. a~~







- I. Boetii de iure inhumanum.
- II. Thomae de iure consuetudinum et observantia.
- III. Cocceij de eo, quod iustum est in debitis s. de genuina praxi iuris.
- IV. Kroy. de iure summo in iura summa.
- V. Kestner de iuris prudentia a novissima in paucula capita redigenda.
- VI. Bomer de interpretatione facienda contra eum, qui laus loquens.
- VII. Boetii de obligatione forensi iuris divini.
- VIII. Lange de eo, quod observandum est circa interpretationem legis.
- IX. Joh. S. Fryk. de usu inutilium in iure.
- X. Kestner de iure humaniore Codicis.
- XI. Bomer de Observantia Ecclesiastica.
- XII. Lechenberg Nomina legum iustam ab iniusta discernenda.
- XIII. Ludovic de iure consulto sive Lege loquente.
- XIV. Bomer de scripturis non legitibus non in iudicibus scriptis.
- XV. Ludovic iuris Romani et Germanici differentias.
- XVI. G. de emendanda Germanica iuris prudentia.
- XVII. G. iuris Romani et Germanici differentia occasione interpretum.
- XVIII. Leiser de allegationibus iurconsultorum.
- XIX. Schroeter de Principiis rescriptorum in usu moderno.
- XX. Gualter de officio Iuris Periti.
- XXI. Engelbrecht de iuris prudentia vasto amplitudine et nomine Iuris Periti.
- XXII. Wildvogel de Casibus non dabilibus.
- XXIII. Schrag de Constitutionibus Principum.
- XXIV. Richner de dolo in fraudem legis.
- XXV. Lucius de iure non scripto.
- XXVI. Struyk. de falsitate precum Principum oblata.
- XXVII. Cocceij de eo quod sit ipse ius.
- XXVIII. Cantinack specimen iuris prudentiae oblatum in cap. de pace et iuris dictione.

xxxix. Monachi monachumque scripto contentio.
xxx. Reiter de iustitia et distributione quam consultatione
In partibus omnibus.
xxx. Steyer de iura formulario Romanorum s. de Legirato
omnibus.

DISPUTATIO JURIDICA
DE
JURE NON
SCRIPTO 26

QUAM
PERMISSU ET DECRETO
MAGNIFICI ET AMPLISSIMI
JCTORUM ORDINIS
PRO CONSEQUENDIS SUMMIS
IN UTROQUE JURE HONORIBUS
PUBLICO AC SOLENNI MAGNIFICI
AC AMPLISSIMI

SENATUS ACADEMICI

EXAMINI SUBMITTIT

SAMUEL LUCIUS

NASSOVICUS

AD DIEM *MAY* M DCC.

GISSÆ CATTORVM,
EXCUD. JOH. REINHARDUS VULPIUS, VNIV. TYP.

DISPUTATIO JURIDICA

DE

JURE NON
SCRIPTO

QUAM

PERMISSU ET DECRETO

ACADEMIAE ET AMPLISSIMI

CTORUM ORDINIS

PRO CONSULENDIS SUMMIS

IN URROGIAE HONORABILIS

PUBLICO AC SOLENNI ACADEMIAE

AC AMPLISSIMI

SENATUS ACADEMICI

EXAMINE SUBMITTE

SAMUEL LUCIUS

AD DIEM 25 M. DEC.

DISSE. CAPTORVM.

Excudit Joh. Reinhardus Vulpes, Univ. Typ.





I. N. 7.

PRÆFATIO

T Antopore Epitome illa Imperato-
 ris Justiniani, in quam diffusa
 olim juris volumina redegerat,
 crevit, ut non solum maximâ le-
 gum mole, quarum tamen mul-
 ta aut usu nunquam recepta aut dudum jam ab-
 rogata, iterum laboremus; Sed præterea tam pro-
 digiosus eorum, qui illas interpretatione suâ ju-
 vare sategerunt, sit numerus, ut optimū etiam patri-
 monium in librorum Juris suppellectilem eroges,
 nec tamen ad famosiores saltem Scriptores com-
 parandos id sufficiat: Imò vix sententia juris est,
 de qua non integri commentarii extent, quos sine
 magno labore agrè ad justæ tantum methodi re-
 gulas,

A 2

gulas,

gulas, quod sepius adhuc desideratur, componere
 possis. Prodeunt equidem quotidie in lucem
 novi libelli, ast plerumq; crambe recocta sunt,
 nihilq; legentes in iis deprehendunt novi, nisi for-
 tē mutatum ordinem nomenq; authoris: Non
 defraudabo illos laude suā, qui indefessa opera stu-
 dium juris scriptis suis promovent: Esse enim et-
 iam adhuc aliqua, atque indies nova emergere,
 quæ ad juris amussim revocare necesse sit, non ne-
 garim; Sed eum id sine magno temporis dispen-
 dio vix fieri queat, confido me propter concate-
 natos officii labores facile veniam mereri, quod
 rarum ejusmodi Thema pro Disputatione In-
 augurali elimare, aut hoc quod mihi
 sumpsi, limatius tradere
 non tentarim.

PRO-



PROLEGOMENA.



UM homines natura ad societatem ferantur, illis etiam in creatione dictamen aliquod rationis inditum erat, quo non solum qualem & quantam gratiam se Creatori suo debere, sed etiam regulas ad conservandam societatem necessarias uberrimè cognoscebant; Postquam autem Protoplasti nostri per inobedientiam suam instinctum illum naturæ, quo ad colendum Deum ferebantur, amisissent, & tantæ tenebræ intellectui eorum subfusæ essent, ut eam amplius non noscerent, sed tenues reliquiæ tantum & generalia quædam principia con-

A 3

natæ

natæ hujus scientiæ, quæ jam jus naturale con-
 natum vocamus, remanerent, sanctissimam
 suam voluntatem eis largiùs revelavit, sicque
 jus divinum constituit, cujus pars omnes in-
 differenter homines obligat, eo quod (1.) cum
 jure naturæ connato conveniat, *vid. Epist. ad*
Rom. cap. 2. v. 14. & 15. (2.) quod idem in
 Novo Testamento tanquam præceptum re-
 petitum, (3.) quod & causa ejus universalis
 sit & (4.) quod Prophetæ & Apostoli idem ad
 homines etiam gentiles applicarint, Reinking.
de Reg. Sec. & Eccl. L. 2. Class. 2. c. 2. num. 1. &
 hæc dicitur *Jus divinum morale*. Deinde & de
 judiciis quædam disponit Deus, quæ partim
 Populum Judaicum tantùm obligant, partim
 ob rationem moralem omnibus hominibus
 communia sunt. *Vid. Grot. de I. B. & P.*
L. 1. c. 1. numer. 15. & hæc pars appellatur.
Jus divinum forense. Tandem & ceremo-
 nias quasdam circa cultum suum ordinavit
 Deus, quæ tamen ad Judæos tantùm spectant,
 & hæc pars efficiebat *Jus divinum ceremoniale*.

Porro



Porro cùm homines ita multiplicati essent, ut in plures societates sese diviserint, communis ratio, necessitas videlicet & utilitas, quædam ab omnibus gentibus inviolabiliter servanda suavit, quæ *Ius Gentium* dicimus; Pacto tamen unquam expresso hanc obligationem mutuam constitutam esse affirmare non audeo.

Cum autem & proprium singularum societatum commodum leges quasdam requireret, singuli etiam tales condiderunt, quæ *juris civilis* appellatione nobis veniunt, quarum dum aliæ principaliter utilitatem Reipublicæ, aliæ autem privatorum spectent, illas *Ius Publicum*, has autem *Privatum* vocare vitium est. Hoc jus civile ulterius in *scriptum* & *non-scriptum* vulgò dispescitur, quod posterius divisionis membrum hâc Disputatione breviter persequi jam animus est.

THESIS I,

THESIS I.

TAM varia & multiplicia sunt hominum negotia, ut etiam prudentissimus Legislator omnes circumstantias, quæ circa ea suboriri possunt, prævidere, & legibus suis definire nequeat. Imò ita sæpe mutantur tempora & ingenia mortalium, ut quod quondam utile & proficuum erat, jam perniciosum sit, hinc evenit ut quandoque sine expresso Legislatoris consensu, nisi quotidie novis condendis Legibus occupari velit, quædam statuantur, quibus si ratione nixa, meritò legis vigor manere debeat, ut non tantùm ordo in Republica servetur, sed etiam execrandæ & frequentes lites ex ea eliminantur. Illa jam, *quæ sic sine expresso imperantis consensu in legum vim invalescunt*, jus non scriptum vocamus L. 32. §. 1. ff. de LL. scriptum autem, *quod expressa Legislatoris voluntate rogatum* §. 3. de I. N. G. & C.

II.

Est igitur jus non scriptum *regula actionum*

*num moralium ex tacito Legislatoris consensu
& ratione obligans.* Jus Scriptum ea de causa
interpretes juris Romani leges, quas Legis-
latores expressa voluntate constituerunt, di-
stinctionis saltem gratia vocarunt, quod hæ-
plerumque in scripturam redigantur, nostrum
autem jus etiam sine ea sese animis hominum
insinuet, hinc non ob id jus non scriptum esse
desinit, quando literis consignatur. Sic in Im-
perio jus feudale, non obstante quod typis
evulgatum sit, juris non scripti partem facit.
Struv. *L. 1. Synt. I. F. cap. 1. aph. 7.* de quo pau-
lo infra dicemus.

III.

Juris non scripti summa capita *consuetu-
dinem & aequitatem* esse censeo.

IV.

Non autem res nobis jam est *de consuetu-
dine tali*, de qua loquitur § 15. *f. de R. D.* neque
de prescriptione, quam vulgus sæpe cum con-
suetudine confundit, Brunn. *ad L. leges quo-
que C. que sit longa consuetudo.*, nec *de privile-*

B

giis,

legiis, quæ etiam quandoque consuetudinis nomine insigniuntur. Matth. c. 7. v. 15. neque *de statutis*, quæ Status Imperii vi jurisdictionis territorialis in suis terris condunt, hæc enim, utut sæpissime juris consuetudinarii nomine veniant, ad jus scriptum tamen spectant, multò minus *de Statutis Collegiorum Opificum*, quæ si imperantis autoritate destituantur, ad pacta referre malo; sed consuetudo, de qua nos agimus, est *jus tacente*, propter *rationem quæ subest*, *Legislatore*, *publicâ* & *non interruptâ actuum frequentiâ* & *diuturnitate temporis introductum*. Germanice vocatur *Gewohnheit* / *Lands* oder *Stadt* *Brauch*.

V.

Requiritur ergo primò ad consuetudinem *tacitus Legislatoris consensus*, *L. de quibus ff. de LL.* qui per conjecturas elici potest, quæ semel introducta, etiamsi postea expressè à Legislatore approbetur, consuetudo tamen manet, neque ideo ad jus scriptum pertinet. *art. 8. §. 4. Instr. Pac. Cas. Suec.* quemadmodum

dum Carolus V. nec non postea Albertus & Isabella mandarunt, omnes totius Belgii consuetudines scripto consignatas ad suprema consilia deferri examinandas & approbandas, teste Zypæo *in notitia juris Belgii ad tit. de LL.* nisi illam expresse tanquam legem valituram jusserit. Sic cum Jus Canonicum seculo decimo tertio à Friederico II. cum consensu Statuum Imperii receptum sit, uti testatur Goldast. *Tomo 2. der Reichs-Satzungen c. 15.* Lehmann *in Chron. Spir. L. s. c. 108.* & Rhetius *Diss. jurid. de authorit. juris canonici sect. 1. p. 37.* vid. Capitul. *Ferd. III. art. 38.* & Leopold. *art. 36.* male ad jus non-scriptum hæcenus plerumque retulerunt. Ne autem alicui dubium moveat *L. 32. §. 1. ff. de LL. quasi & populi consensus tacitus ad inducendam consuetudinem sit necessarius; sciendum, legem istam respicere ad Statum Reipublicæ Romanæ, in quo populus adhuc aliquam Legislatorem potestatem habebat.*

VI.

Secundum consuetudinis requisitum est

B 2

publicæ

publica & non interrupta actuum frequentia L. 1. C. qua sit long. consuet. arg. c. f. X. de consuet. nisi enim publici sint actus & saepius reiterati, non praesumi potest, ipsos ad Legislatoris notitiam pervenisse, ipsumque iis consensum suum praebuisse. Numerus tamen actuum, qui ad consuetudinem sufficiat, iudicis arbitrio merito relinquatur. arg. L. 1. §. 2. de iur. delib. Rein-king. de Reg. Sec. & Eccles. L. 2. Class. 2. cap. 9. n. 18. Non interrupti praeterea sint actus, alias enim non constare potest, quos Legislator tacite approbet; & si modo ita, modo aliter de casu quodam statutum fuerit, ad jus commune recurrendum, hoc autem deficiente, ultimus actus regulæ loco erit, si tamen hic ratione nitatur. Stryck. Vol. 1. Dissert. Jurid. Dissert. 23. cap. 6. n. 25. Actus requiri diximus, iidemq; non tantum ad Con-sed & desue-tudinem inducendam sunt necessarii, cum jura semel recepta in viridi observantia esse praesumendum, in quo saepissime lapsus Groene-weg. in tractatu de abrog. LL. Stryck. in spe-

Specim. usus modern. Dig. in discurs. pre-
lim. §. 34. VII.

Exinde fluit tritum istud, consuetudinem esse facti, seu induci per actus, & alleganti eam incumbere probationem talium: *L. 4. de custod. reorum* de quo mox *th. 10.* plura. Actus hos *Blum. Process. Cam. tit. 2. §. 23.* esse, quod vulgo observantiam vocamus, dicit, ex qua consuetudo fiat. Sed *An judiciales sint actus qui consuetudinem inducere debent?* Huic quaestioni causam dedit *L. 34. ff. de LL.* verior nobis videtur opinio negans, quam adstruit *Zæf. ad ff. tit. de LL.*

VIII.

Tertium quod Essentiam consuetudinis constituit, *diuturnitas temporis* est, §. 9. *l. de l. N. G. & C. l. 32 §. 1. de LL.* neque illud certo annorum numero definiri potest, sed arbitrio iudicis quoque relinqui debet. *Reinking supra cit. loc. Grot. de J. B. & P. L. 2. c. 6. num. 5. Menoch. l. 2. arbitr. jud. quest. cas. 83. num. 6.* Videri tamen posset, certum tempus exigi,

B 3

quoniam

quoniam *cap. f. X. qua sit longa consuetudo*, dicitur, consuetudinem legitimè debere esse præscriptam, sed cum consuetudinis initium plerumque sit ignotum, ut præscriptionum termini ei non quadrent, abusum esse Pontificem voce *præscripta* verisimile est. Hahn, *ad Wesenbec. h. t. num. 9. ad verba*, consuetudo duplex *in fin.* In Saxonia tamen certum tempus 30. annorum, 6. septimanarum & trium dierum, nempe consuetudini introducendæ est præfinitum

IX.

Quarto ad consuetudinem requiritur, ut *ratione* nitatur, daß es eine ehrbare ehrliche Gewonheit sene. *O. C. P. 1. Tit. 13.* Est autem consuetudo rationabilis, quæ non nutrit peccatum, ne tendit contra jus Naturæ præceptivum aut divinum, Joh. Azor. *l. 5. Instit. moral. cap. 17. p. 1.* & quæ bono publico non refragatur, sed privatorum utilitati providet, Menoch: *l. 2. arbitr. jud. quest. cas. 12. num. 7.* meritò igitur inter irrationabiles referuntur illæ

illæ, quæ in *Ord. Crim. art. 218.* enumerantur, & plures, quas de diversis Europæ gentibus cum rationabilibus miscuit Sprengerus in *Perspicillo Orbis Christiani p. m. 83.* Insigne irrationabilis consuetudinis exemplum refert Anonymus *Tome 3. du voyage historique d'Europe*, ubi in capite de Sardinia dicit, moris ibidem fuisse, à liberis parentes senectute confectos, ne ætatis infirmitate, cum repuerascant senes, contra Regiminis aut familiæ utilitatem aliquid committant, baculis enecari; quo nihil magis juri naturali pariter & humano repugnare poterat. Contra ratione summâ fulta est consuetudo, mercatorum libris semiplenam fidem attribuens, si nempe rite conscripti. *Carpz. P. 1. const. 17. def. 35. num. 3. 4. & 5.* Respublica enim sine mercatura, & mercatura sine exuberantissima fide vix consistet.

X.

Est autem consuetudo vel *generalis* vel *specialis*; *Generalem* dicimus, *quæ in toto regno*

gno vel provincia recepta; particularem autem, que in uno tantum loco viget, utraque cum facti sit, est probanda, supra th. 7. Cum tamen generalis plerumque notoria sit, ob id allegans eam ab onere probandi liberatur. L. 11. §. 12. ff. de Action. De modo probandi variæ atque diversissimæ sunt Doctorum sententiæ; Ego censeo eodem modo judici de consuetudine fidem fieri debere, quo de aliis factis dubiis L. 12. ff. de LL. Johan. Faber ad §. 9. l. de act. arg. l. ult. in prin. C. de LL. Nec unus testis plenam fidem faciet, etiamsi prudentissimus juris Doctor sit, nam & hos facta fallere possunt, arg. l. 2. de jur. & fact. ignor.

XI.

Ius feudale Longobardicum per consuetudinem generalem in toto Imperio receptum est. Arth. Duck. de usu & auth. jur. civ. Rom. hinc probatione non indiget. Rosenthal. de feudis c. 1. concl. 8. in fin. cui tamen nunquam per Imperatorem & Status Imperii vim legis expresse esse inditam, bene contra Goldastum asserit

asserit Struv, *Synt. I. F. cap. 1. aph. 7. num. 6.*
ubi omnia quæ hic dici poterant, reperies.

XII.

Dividunt porro Doctores consuetudinem in *Judicialem & Extrajudicialem*, ut illa sit, quæ determinat ordinem & modum procedendi in iudicio observandum. Stryck. *supra alleg. vol. 1. disp. 23. cap. 1. num. 43.* & alii ibidem nominati. Hæc autem, quæ in negotiis omnibus, extra iudicium geri solitis, occupatur. Sed cum jam laudatus Stryckius satis fusè materiam hanc tractarit, eò lectorem remitto. Illud saltem monendum duxi, cum in Camera Imperiali nihil nisi in Audientiâ, ut vocant, judicialiter fieri dicatur & ad extrajudicialia omnia referantur, quæ aliàs in Senatu, vulgo *Raths Stube* / in Cancellaria in *Lectoria & Deputatorio*, in der *Deputation - Stube* peraguntur. Blum. *Process. Cam. tit. 29. §. 21.* hic tamen nomine consuetudinis judicialis etiam illa omnia comprehendi, modò usu introducta sint. Blum. *P. C. tit. 2. §. 22.*

C

XIII.

XIII.

Si idem casus, jure scripto cessante, aut etiam plane aliter, quam illud jubet, sæpius ut scientia & tacita Legislatoris voluntas præsumi possit, in judicio simili modo decius fuerit, pro jure non scripto allegari potest. *arg. L. 34. § 37. ff. de LL. Mev. p. 5. Decis. 283. n. 2. R. l. 1654. §. 136.* quod ultra locum tamen istum in quo pronunciatum est, non extendendum. *Natta. Cons. 218. num. 4.* Communis autem DD. opinio sola tantum valet, quantum rationis habet, nec infrequens est, plures erroneam fovere sententiam, hinc DD. consensus præter probabilitatem nihil inducit.

XIV.

Consuetudo idem cum jure scripto subjectum & objectum commune habet, sicuti & ejusdem effectus non minor, quam legum est, *L. 23. ff. de LL.* Et judices hodie in omnibus fere locis juramento se obstringunt, quod secundum locorum laudabiles consuetudines
 judicare

judicare velint; Gail. *L. 1. Obs. 26. num. 14.* Si
 secus egerint, litem suam faciunt. Menoch.
l. 2. præsumpt. 8. num. 17. Obligat consuetudo
 ad scientiam, obedientiam & poenam non solū
 in contractibus *l. 6. de evict. l. 31. §. 18. de adilit.*
Edict. sed etiam in delictis & aliis actionibus
 humanis, *l. 7. de extraord. crim. lib. 16. §. pen de*
pæn. Carpz. *p 4. const. 47. def. 6.* tollit etiam jus
 scriptum & non scriptum præcedens, ac juri
 naturali & gentium detrahit & addit, non ta-
 men penitus tollit. *l. 32 ff. h. tit. arg. l. 6. ff. de just.*
et jur. Illud adhuc notandum, quod con-
 tra legem, quæ consuetudinem prohibet, nul-
 la possit induci. *vid. Auth. Navigia. de furtis*
Vasq. p. 2. controvers. l. 1. cap. 3. Brunnem. ad
L. 2. O. quæ sit long. consuetud. cujus legis hic
 sensus est, quod consuetudo, si suis requisitis
 careat, & irrationabilis sit, legem non tol-
 lat. *vid. Zœf. ad ff. de LL. num. 97.* Imò quæ
 contra consuetudinem fiunt, nulla sunt. *vid.*
 omnino Stryck. *supra alleg. disp. 23. cap. 6.*
num. 8. 9. 10. ubi requisita, ad annullandum

actus contra consuetudinem judicialem necessaria, recenset.

XV.

Jus non scriptum æquè ac scriptum interpretationem recipit, ac ad similes casus ob identitatem rationis extendi debet *L. 1. C. que sit long. consuetud. & ibi Brunnem. num. 5.* cum enim hanc ob causam ad similia porrigatur lex, quod Legislatores propter communem rationem id velle præsumatur. *l. 4. §. f. ff. de suppell. leg.* quare non eodem modo tacitus legislatoris consensus præsumi debeat, sane non video. Quod tamen intelligendum de casibus, de quibus jus scriptum nihil disposuit, alias consuetudinem strictissimè interpretari oportet, ut, quantum fieri potest, jus scriptum minus corrigat. *Gail. l. 2. Obs. 33. num. 9.* etiam si eadem ratio subesset.

XVI.

Quemadmodum leges posteriores prioribus derogant. *l. f. ff. de consistit. Princip.* ita & consuetudini, Principis enim voluntas pro lege

lege servanda *l. 1. d. t.* & Baldus *Auth. na-
vigia C. de furtis*, dicit quod Princeps per ge-
neralem clausulam *non obstante* si illa legibus
inferatur, omnes omnium locorum consue-
tudines aboleat, quemadmodum hunc & cum
eo facientem Bartolum allegat Gailius *L. 1.
Obs. 18. num. 2.* non minus consuetudo po-
sterior abrogat priorem, eosdem enim plane
habet effectus, quales scriptum, ut supra *th. 14*
diximus.

XVII.

Alterum non scripti juris summum ca-
put æquitatem esse, supra est assertum. Utut
enim illa quandoque etiam sub generali juris
nomine contineatur *l. 1. in princ. & l. pen. D.
de just. & jure*, sæpius tamen distinguuntur &
sibi invicem opponuntur, ut in *L. 25. d. LL.
L. 1. C. eod. l. ult. C. de edend.* Sed cum præter
plures alios Marquardus Freherus in singu-
lari commentario ad jam alleg. *L. 1. C. de LL.*
quem Sulpitium inscribit, materiam hanc do-
ctissimè, more suo, perquisiverit, ego me pau-
cis expediam.

Estigitur æquitas *benigna legis quaedam interpretatio, vel moderatio in aliquo casu, quem lex sub rigoris universalitate comprehendit.* In quo in tantum lex deficere dicitur, quia ipsum à regula non excepit, quem tamen, si sic futurum cogitasset, ab universalitate regulæ, cum aliquo moderamine vel simpliciter, excepisset, unde æquitas hæc etiam *par in jure dicitur l. 8. §. 6. D. Mand. l. 2. §. 3. D. de her. l. act. vend.*

XIX.

Æquitatem hanc omnino judicem in judicando respicere debere imperat. *L. 10. C. de jud. l. 6. §. siquid C. de appell. Novell. 17. cap. 19. X. de sentent. & re judicat. l. 90. de reg. jur. etiam in causis criminalibus l. 5. §. ult. D. de pœn. præsertim quando causæ, quæ in iudicium deducuntur, id requirunt, sic in actionibus bonæ fidei, quæ omnes in §. 30. l. de Act. enumerantur, iudex liberam habet potestatem, quid alterum alteri ex bono & æquo præstare oporteat judicandi *L. 7. de N. G. L. 24. depos. l. 31. §. 20. de**

§. 20. de edilit. Edict. vid. hanc in rem Menoch.
tract. de arbitrar. jud. quest. per tot.

XX.


Quamquam enim Imperator sibi soli *supra*
alleg. L. 1. C. de LL. æquitas interpretatio-
nem reservasse, atque illam iudicibus ademisse
videatur, hoc tamen de tali demum casu in-
telligendum, ubi æquitas adhuc est obscura,
incerta & controversa, cujus interpretatio
demum à Consultis, tanquam ab oraculo, sit
petenda. Si autem æquitas clara, perspicua
& evidens erit, ut dicit *L. pen. D. de in integ.*
rest. ex qua fluit *l. 183. de R. 1.* ridiculum foret,
in explicanda ea, ingeniosum esse velle. *l. ille*
aut ille D. de legat. 1. l. 1. §. sed sciente D. de Ex-
ercit. act. l. in iis D. de condit. & demonst.

XXI.

Tunc autem evidens & clara dicenda est
æquitas, quando argumento à pari, à simili, à
contrario sensu, aut alia ratione, potest deduci
arg. l.

arg. l. 12, D. de LL. L. 65. §. si pupillo D. ad Trebell. ibi: ad similia procedere. Si hoc mood æquitatem eruere non possit, judex Legislatorem adeat, & quid statuendum sit roget *l. 3. in pr. D. de offic. præfect. vigil.* Atque hæc hac vice sufficiant, donec fortè fufius materiam hanc elaborare licebit.





VIRO NOBILISSIMO
DOMINO
SAMUELI LUCIO,
COGNATO SUO HONORATISSIMO,
J. N. HERTIUS, J. U. D. ET P. P.

EST omnino præclara vox Augg. Leonis & Anthemii in
l. 14. C. de Advocatis diversorum judiciorum. *Advoca-
tos, qui dirimant ambigua fata causarum, suæque defensionis viri-
bus in rebus sæpe publicis ac privatis lapsa dirimant, non minus
providere humano generi, quàm si præliis atque vulneribus Pa-
triam parentesque salva rent. Quod tecum sapienter reputans,
Præstantissimè Luci, postquam cum in hac nostrâ Ludoviciana
tum in aliis Academiis juri operam sedulò dedisti; deinde
Secretarii munus per aliquot annos dextrè obivisti, non te-
merè Te comparas, ut in Illustri Romano Germanici Imperii
Civitate impostero agas Advocatum, eamque ob rem
nunc Licentiæ, quem vocant, Gradum apud nos honestè am-
bis. Quo nomine non possum non ex animo gratulari Ti-
bi, & Deum rogare, ut propositum tuum ex alto secundet,
& consilia tua in publicæ rei salutem, clientum solatia, & pro-
prias utilitates tuas felicissimè dirigat. Scribebam Gissæ ipsis
Calendis Junii M DCC.*

Als ist die Ehren-Bahn; was lang war auffgeschoben /
Und nur noch mehr bewähret durch viel versuchte Proben /
Doch Endlich seiner Zeit zu stellen an das Licht /
Und andern dan das Pfund noch legen zu Gesicht.

Was ist's / wann viele schon als frische Juncken springen
Aus der noch warmen Eß' / und bey so schweren Dingen
So leicht auß Troja-Pferd außhüpfen nach dem Grad /
Als ob Licentiat nur sey der Ehren-Pfad?
Gang anderst hat Er längst sein Ziel sich abgesteckt
Herr Vetter / und sein Thun auff bessern Grund gezwicket /
Durch vielerley Versuch das Recht erst zu erfahren /
Als Rechts-Gelehrte zu seyn / noch vor den Weisheits-

Jahrn;
Drum geht Er besser nun ans Licht in Themis-Tempel /
Wacht als ein Lucius / nach römlichem Exempel
So viel gelehrter Leut in seiner Vorfahrn Schaar /
Den Lichtes-Nahmen noch der Nachwelt weiter klar.
Ich wünsche Heyl und Glück zu solcher Ehren-Stuffe
Vom Vatter alles Lichts / zu dem ich billich ruffe:
Er leg das rechte Licht und Recht an seine Seel /
Daß Er von Rechte und Licht nie weiche oder fehl!


Solches hat seinem Hoch-Geehrten Herrn
Vettern / als lang-gewesenem Jurium Can-
didato glückwünschend anfügen wollen

Johan. Bartholomæus Kuidiger /
Log. & Metaph. Professor, Prediger /
und Definitor in Gießen.


E N D E.


ERRATA.

PAG. 4. lin. 10. pro *sed eum*, lege *sed cum* p. 5. l. 12. pro *eam*, lege *eum*
p. 7. l. 11. pro *singuli*, lege *singula*. p. 10. l. 2. leg. *Matth. 27. p. 19. l pro*
l. 2. O. leg. C. p. 20. lin. 5. leg. *idenditarem*. p. 24. l. 3. pro *non possit, iudex.*
lege non possit iudex.









00 A 6382

ULB Halle

3


002 916 541



SR

LD 17







DISPUTATIO JURIDICA
DE
**JURE NON
SCRIPTO** ²⁶

QUAM
PERMISSU ET DECRETO
MAGNIFICI ET AMPLISSIMI
JCTORUM ORDINIS
PRO CONSEQUENDIS SUMMIS
IN UTROQUE JURE HONORIBUS
PUBLICO AC SOLENNI MAGNIFICI
AC AMPLISSIMI

SENATUS ACADEMICI
EXAMINI SUBMITTIT
SAMUEL LUCIUS
NASSOVICUS

AD DIEM MAY M DCC.

GISSÆ CATTORVM,
EXCUD. JOH. REINHARDUS VULPIUS, VNIV. TYR.

